





83 To. 3. 4. 20

F. 7. num. 32. 6.

Z Q. D. B. V.

DE

1722, 4<sup>a</sup>

12

# F E V D I S C A S T R E N S I B V S ,

von

B u r g : L e h e n /

P R A E S I D E ,

I O H A N N . W I L H E L M O  
W A L D S C H M I E D T , J C T O ,  
S E R E N I S S I M I E T P O T E N T I S S I M I  
H A S S I A E L A N D G R A V I I P R O - C A N C E L L A R I O  
A C A D E M I A E , C O N S I L I A R I O R E G I M I N I S ,  
E T P R O F E S S O R E P . O .

D I S P U T A B I T ,

A D D I E M      A P R I L I S M D C C X X I I .

A . & R .

G O T H A R D . F R I D E R . A P P O L D T ,  
O N O L D O F R A N C V S .

---

M A R B U R G I C A T T O R V M ,

T Y P I S P H I L I P P I C A S I M I R I M Ü L L E R I , A C A D .



23

LEADER  
CASTRIES  
G. M. B. S. G. M.  
PRAESIDII  
I. H. A. N. W. II. H. I. M. O  
WALDSCHMIDT. E. T. O.  
GERMANSIM ET PONTINASIM  
HEZAB. VINCGRAY. PRO. CINCERARIO  
SACERDOTAL CONSILARIO REGIMENTI  
ET PROFESSIONE L. O.  
DISPARATI  
AD D. M. A. R. U. M. C. Z. T. R.  
A. K. L.  
GOTARD FREDER APOLLIDI  
OMNIO. FRANCIS.

23  
K. P. 17

A SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEVR  
**G V I L I A V M E**  
**F R E D E R I C ,**

MARGRAVE DE BRANDEBOVRG,  
DVC DE PRVSSE, MAGDEBOVRG, STETIN,  
POMERANIE, DES CASSVBES ET VENDES,  
ET DE MECLEBOVRG, EN SILESIE ET CROSNE;  
BOVGRGRAVE DE NVREMBERG; PRINCE D' HAL-  
BERSTAD, MINDE, CAMIN, VENDE, SVERIN  
ET RAZEBOVRG; COMTE D' HOHENZOLLERN  
ET SVERIN; SEIGNEVR DES PAIS DE  
ROSTOCK ET STARGARD.

# MONSEIGNEVR.

A SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSIEUR  
GAIETE AYME  
FREDERIC  
MARGUERITE DE BRABANT  
IZ  
ER  
HAL  
JIN  
BRI  
Es choses de peu de conse-  
quence déplaisent d'ordi-  
naire aux petits esprits,  
mais les grands ne dédaignent pas de les regarder  
favorablement, lorsqu'elles  
font accompagnées de respect & de devo-  
tion. Cette persuasion me fait hazarder d'  
offrir très humblement à VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME les premiers fruits de mes  
études



études. Je sai MONSEIGNEVR , que ces  
petitesles sont peû dignes d' être présentées  
à un PRINCE si eclairé, si grand par sa naissan-  
ce, & plus grand encore par les rares vertus,  
qui LVY attirent l' admiration du Public:  
mais le genereux penchant que VOTRE  
ALTESSE SERENISSIME a pour ceux,  
qui aiment les sciences, & la grace qu' ELLE  
a déjà daigné temoigner pour moi, m'ont  
inspiré l' ambition de meriter, s'il est possible,  
SA Protection & le bonheur de la servir un  
jour. J'ai crû qu' il me seroit permis de  
donner quelques marques publiques de ce  
respectueux desir , & toutes foibles qu'elles  
sont , j' espere que VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME daignera les agréer. Cet-  
te grace me donnera de nouvelles forces pour  
mieux réussir dans mon propos , & pendant  
que j'y travaille, je prierai ardemment Le  
Tout puissant de conserver comme de pre-  
cieux Gages de sa bonté, LA PERSONNE  
SACREE de VOTRE ALTESSE SERENIS-  
SIME , & Celle de SON AVGVSTE  
EPOVSE,

CONTRIBUTIO

EPOVSE, afin que LEVRS sujets jouissent  
long tems du gracieux soin que le Seigneur  
prend, de les rendre heureux. Qu'il Luy  
plaise aussi de répandre sur LE SERENISSI-  
ME PRINCE HEREDITAIRE ses riches  
benedictions, & de LE preparer à être un jour  
l'ornement de l'AVGVSTE MAISON DE  
BRANDEBOVRG, & le bonheur d'un peuple  
dont il fait déjà les delices! Ce sont les voeux  
que je ferai toute ma vie, étant avec une pro-  
fondé soumission,

MONSIEUR,  
de VOTRE ALTESSE SERENISSIME

Marbourg ce Avril.

1722.

*Le plus humble, plus dévoué, & le  
plus fidèle sujet.*

GOTHARD FREDERIC APPOLDT.

DISSE<sup>T</sup>ATIONIS IVRIDICAE,  
DE  
FEVDIS CASTRENSIBVS,  
Bon  
Burg<sup>r</sup> Lehen.  
§. I.

Militiam Germanorum antiquam & ho-  
diernam conferre invicem ac conten-  
dere si quis instituat, utrobique for-  
titudinem quidem invictam, nullos-  
que mortalium, armis aut fide ante  
Germanos esse; (a) in ipsis vero mi-  
litiae institutis diversitatem longè  
maximam deprehendet. Ut alia nunc praetereamus,  
vel sola praefidiorum ac munitionum hodierna ratio, an-  
tiquissima à recentioribus, & haec à recentissimis mili-  
tiae institutis quam maximè differre, neminem dubitare  
sinit. Cum enim, sub antiquissimo aeuo, vastae soli-  
tudines, ac nemorum densissima receptacula majoribus  
nostris refugium ac securitatem circumposuerint, (b)  
Deinceps, ex quo in mores hominesque transit poste-  
rior aetas, in Germania magna quoque, non solum Ca-

Argumenti  
selectus.

A 2 stra, Ca-

(a) Quod elogium legati Germanorum, Romae in solenni con-  
fessu, nationi suae tribuere, jam olim non dubitârunt, vid. Tacitus

*Annal. Lib. XIII. cap. 55.*

(b) Vid. Tacitus *de M. G. cap. 50.*

stra, Castella, & propugnacula, sed & urbes munitae exstructa, in iisque *Castrenses* pro praesidio collocati fuere. Quod si vero haec omnia cum hodiernis munitiobus conferas, vix, ut *subitus rupti munimine cespitis agger*, locum suum tueri poterunt. Memoriam tamen pristini illius instituti, non tam urbes & castra, turrigerò circumdata vallō, ut & *Castrenses*, velut milites olim praesidiarii, quam potius ipsa *Feuda Castrensa*, vulgo *Burgus* *Qes* *hen* dicta, in vicem stipendiis ipsis quondam assignata, in hodiernum usque diem nobis conservarunt. De iisdem Specimine hoc Academicò differere nobis constitutum est.

*Ius fontis.*

§. II. p*De Feudis Castrenibus* itaque dicturi, primo omnium de fontibus dispiciemus, è quibus argumentum hoc derivandum. Et quidem, si Ius Feudale Longobardicum heic adeamus, tantum abest, ut naturam & indolem huiusmodi feudorum exinde cognoscere liceat, ut vel nomen *feudi castrensis* in eodem, quantum observare licuit, non deprehendatur. Quanquam enim castri in feendum concessi, *1. Feud. 4. §. 3. 4.* & feudi guardiae, *1. Feud. 2.* mentio fiat, eadem tamen, ab hoc nostro, multis modis differre, ex infra dicendis apparet. Utinque ergo communis origo effecerit, ut Longobardi cum reliquis Germanis in eadem instituta feudalia passim conspiraverint, *feuda* tamen *castrensa*, cum in Germania sero demum subnata sint, Longobardis non aequè cognita fuisse, sed aliam praesidiorum rationem ipsis constituisse credimus. Patria itaque Iura nobis heic potissimum consulenda, & è domesticis monumentis eruenda erunt. Haec inter collectiones consuetudinum & Iurium feudalium, medio aeo subnatae, tum & diplomata atque chartae insignem nobis praebebunt usum.

◆ ◆ ◆ ◆

sum. Priors quod attinet, Ius Feudale Saxonum  
cap. 72. & seq. Alemannicum vero cap. 139. 141. 142.  
145. & seq. 155. §. 1. tum & autor vetus de Beneficiis  
(quem Dn. Thomasius edidit) plurima hujus argumenti  
nobis subministrant. Non equidem ignoramus, quan-  
tum doctissimorum Virorum iudicio (c) collectionibus  
istis tribuendum sit; vicissim tamen & illud constat, in  
tanta rerum patriarcharum caligine & penuria, reliquias  
istas velut tabulas è magno naufragio arripiendas esse,  
easdemque, modò vera à falsis prudenti judicio secer-  
nantur, insignem in re feudali Germ. usum praestare. (d)  
Quoad diplomata, itidem nos haud fugit, Dn. Thom-  
asiūm (e) graviter monuisse, in illorum usū custoditè in-  
cedendum esse, idque, feudorum castrorum intuitu,  
conductis exemplis demonstrare suscepisse. Auctis utrò  
agnoscimus, eos omnino peccare, qui ex uno altero de  
diplomate, regulas generales, analogiae Iuris Patrii parum  
convenientes, exstruunt: ità sobrium illorum usum, ad  
naturam & indolem feudorum eruendam, ac pacta spe-  
cialia, quibus eadem non raro informata fuere, co-  
gnoscenda, plurimum conferre, res ipsa loquitur. No-  
bis certè diplomata, quae ad manus sunt, & edita &  
inedita, in hoc ipso argumento, insigni adiumento  
erunt.

A 3

§. III.

(c) Vid. Autor (cujus nomen quidem non appetet, eruditio vero  
& merita passim elucescunt) des vorläufige doch gründlichen  
Berichts vom Adel in Deutschland / part. II. set. I. ibique alle-  
gati Leuberus, Cranzius, Meibomius, Conringius, & reliqui-

(d) Hoffmann de orig. LL. Germ. Period. 5. Set. 3. omnesque  
JCTi, quotquot hodie, positis praecordiis, Juribus Patriis ju-  
stum pretium statuere norunt.

(e) In Dissert. de usu libri veter. de Beneficiis §. 15. & 16.

*Quid ca-  
strum?*

6

§. III. Pari modo quid *castrum?* quid *ca-*  
*strenses?* priusquam destinata componamus, paucis  
præmittere consultum ducimus. Constat nimirum, ju-  
stisque rationibus suffulta hodie est sententia, urbes &  
loca munita serò demum in Germania magna exstructa  
esse: (f) sub Carolingicis Francorum Regibus eorum  
incunabula quidem deprehendi, (g) Henricum vero  
Aucupem, velut alterum Germaniae Theseum, homi-  
nes, per pagos dispersos, moenibus inclusisse, eidemque  
& originem & incrementa urbium potissimum in acce-  
ptis ferenda esse. (h) Ut cunque verò aevò Carolingicò  
nomen *Burgi* vel *Castri*, non solum loca munita, sed  
etiam quamlibet domorum congregationem non clau-  
sam, oppidum, vicumque denotaverit, (i) Ex quo tamen  
è villis

(f) Vid. Dn. Thomasii *Dissert. de jure dandi civit.* & quos  
longa serie allegat *Pfeffinger ad Vitriar.* Tom. 2. lib. I. cap. 18. in  
not. ad §. 3. & 4. Ex codem principio Antecessores Marburgenses  
Volum. IV. Conf. 34. num. 235. solidè inferunt, & in illustri  
facti specie evincunt, nomina Regionum, Principatum ac Com-  
itatuum præcessisse arces & civitates, postea in iis aedificatas.

(g) Dn. Struv. *Synt. Hist. Germ. Dissert.* III. §. 8. & 9. Castra &  
Civitates, quae Carolingorum aeo in Thuringia & Saxonia jam  
tum floruerint, Pfeffingerus. d. l. §. 4. notā (a) longā serie re-  
censet, quod suō locō nunc quidem relinquimus.

(h) Vid. Dn. Gundlingii *Comment. de Henrico Aucepe* §. 20.

(i) Conf. Conring. *Exerc. de urb. Germ.* §. 22. (ubi tamen sub-  
dubit, an non allegata Luitprandi verba affirmativè legenda sint)  
Kyllinger de Ganerb. *Castror. disc.* 2anum. 2. Schurzfleisch. *Dissert.*  
*de veteri Burg. regno.* tb. 5. ibi: *Burgus primò quemcunque ha-*  
*bitationis locum in formam castrorum, denotabat. Sequiorum*  
*id est Franco-Carolingorum temporum usū denotabat oppidum.*

ē villis Regiis & castellis (k) urbes surrexerunt, ac per Germaniam frequentiores factae, *Castrum*, *Burgi*, *Castella*, urbibus oppidis & villis contradistincta & singula suis nominibus discreta fuere. (l) Natales istiusmodi *Castrorum*,

(k) Verē Reinesius, *de Palat. Lateran.* pag. 38. Ex Burgis oppida facta, quorum terminatio id subindicat, ut *Dniburgum*, *Salzburgum* &c. add. Wegelin *de praerog. antiqu. Civit. Lindav.* Sect. 2. pag. 74. ibique alleg. Cūm autem hi *Burgi* magna sui patre, ferò denuo extorta sint, argumentum inde nascitur, in dubio urbes & oppida, quae aliam nominis terminationem habent, castris adjacentibus antiquiora censenda esse, vid. Dn. Struv. *Synt. Hist. Germ. d. dissert. 3. §. 3.*

(l) Id ipsum diplomata ferè innumera, inprimis ē Sec. 13. 14. & 15. evincunt. Itā in diplom. de anno 1280. subjuncto dem Gründl. Bericht in Sachen Spon und Wittgenstein contra Thür. Trier. Lit. B. *castrum* & *oppidum* Blanckenburg, *castrum* & *oppidum* Hachenburg, *castrum* & *oppidum* Saffenberg, feorū memorantur. Lehmann. Chron. Spir. Lib. 5. cap. 108. exhibet Recess. Imp. temporibus Rudolphi I. anno 1287. conditum, *darijnen Städte* so bemaert / und unbemaert / von Burgen und Festen unterschieden werden. In diplomate Richardi Imp. de anno 1257. subjuncto dem Bericht der Stadt Friedberg Regal &c. betreffend sub num. 5. dicitur: *Nos civibus Friedbergensibus promissimus, quod intra muros civitatis ipsius, nullam munitionem vel castrum extremum.* Et in diplomate Rudolphi, iisdem anno 1285. dato, *Civitas* & *Castrum* itidem distinguuntur, apud Lunig. Neidh. Archiv. Part. special. continuat. 3. num. 77. add. Antecessores Marburgenses. d. Conf. 37. num. 175. & 209. Ut adeò horum temporum intuitu, si non defendi, excusat tamen possit Lambecius, quando *rer. Hamburg.* Lib. 2. ad ann. 1225. num. 13. scribere non dubitat: *Apud mediae aetatis scriptores Burgus, vel Burgum, interdum pro domorum congregazione non clausa. interdum pro munimento & castello sumitur, ast pro urbe nusquam legi.*

¶¶¶¶

strorum, quae serius urbibus inposita, vel seorsim ex-  
structa, & in quibus *Caſrenſes* potiſſimū collocati fuē-  
re, propius adhuc designat P. Schaten. (m) quando ait:  
*Caſtra haec, more antiquorum Saxonum, in editis abru-  
ptisque montibus praemuniri copta, maximē ex quo tu-  
multuaria illa & civilia bella, per diſſidia regnī aut Ca-  
esarum debilitatem invaluuerunt.* Aſt enim verō, quac  
fata ultimis iſtis temporibus hujusmodi caſtris exſtruendis  
occasionem dederunt, eadem quoque effecerunt, ut  
plurima eorum rurſus deſtruuerentur. Cū enim licen-  
tiā bellorum civilium ac diſſidationum, praedonibus &  
invaſoribus ſaepius pro receptaculo eſſent, eorum  
permulta ſub interregno magno, quod mortem Friderici II.  
excepit, ac deinceps, inprimis à Civitatibus Imperialibus  
deſtructa & deſtaſta fuēre: (n) nonnullae  
quoque Civitates ſpecialibus privilegiis obtinuerunt, ne  
intra certum diſtrictum *Caſtrum* exſtruere cuiquam li-  
ceret. (o)

*Quid Caſ-  
ſrenſes?*

S. IV. Sicut autem haec caſtra urbesque mu-  
nitae, exigua vel nullam praefitiſſent ſecuritatem, ni-  
ſi praefidiis diſpoſitiſ firmata fuiffent: itā *Caſrenſes* die  
Burg: Männer / qui & *Caſtellani* (p) dicuntur, velut  
milites

---

(m) *Annal. Paderb. Part. II. pag. 263.*

(n) Vid. Lehm. d. I. Lib. V. cap. 112. *Trihemius Chron. Hirſang.*  
ad annum 4390. Autor bistor. *Landgr. Thuring.* cap. 76. apud Pi-  
ſtorium. S. D. G. Tom. I. *Winckelmann. Chron. Hass.* p. 2. cap. 4.  
*Lersneri Chron. Francof. Lib. I. cap. 23.*

(o) Vid Lehmann. d. I. lib. cap. 43. Privilegia Francofurtensia  
pag. 340. Hering. *de Caſtris* cap. I. §. 9. ibique allegati.

(p) Vid. Schilt. *ad I. F. A.* pag. 440. Diplomata apud Schaten  
*Annal. Pad.* tom. 2. pag. 11. & 32. Autor. *Deduct. Lindav.* pag. 600.  
ibique alleg. diploma.

milites praefidarii iisdem impositi fuere. Maximum quoque per id tempus, quo ciuilia bella in Germania ardebat, in Castris praefidum quae situm esse, Schatenius *Annal. Paderb.* Tom. II. p. 336. obseruauit. Quanquam enim anterioribus seculis, bella non per militem conductitum, ut hodie, gesta fuerint, quin potius ipsi Duces, Comites, Barones, sive Nobiles illius aevi, plenissimeque liberi, tum & Ministeriales ac secundum quid liberi, exercitum composuerint: (q) idemque usus militiae lectae, non quidem, ut Anthonius Matthaei (r) existimat, ad tempora Caroli V. tamen ad Sigismundi & Maximiliani I. aetatem usque persistit. (s) Praefidiorum vero in civitatibus ea fuerit ratio, ut, ex instituto Henrici I. *urbici milites*, in iisdem collocati & ab integro pago, è quo allecti, sustentandi fuerint. (t) Attamen iam dudum ante, hi ipsi *Castrenses* analogam quandam speciem militiae conductitiae retulisse, eidemque praelusisse videntur: quippe qui non tantum pro certo beneficio, feudi lege ipsis concesso (de quo nobis hic sermo) sed interdum etiam pro certo annuo stipendio, (u) certò cuidam castrò, aut oppidò munito

**B** *praefecti,*

(q) Dn. Wencker De Pfalzvrg. Disq. 3, §. 3. Dn. Burgmeister im Graffen und Ritter-Saal. p. 2. Seit. 24. pag. 189.  
(r) Analect. veteris aeni Tom. I. in not. ad annal. Henr. ab

Erps. 1. Browne. Annal. Treuir. lib. 18. ad ann. 1385.

(s) Vid. Brower. *Annal. Trever. liv. 10. ad ann. 1100.*  
(t) Vid. Dn. de Ploennies eruditissima *Commentatio de Minister.*

S. 24. ibique alleg. Exemplum unum produxit Hertius de Super. Terr. §. 39.

(u) Exemplum unum prodixit P[ro]fessor[em] Aliud nobis sugg[er]it diploma ineditum, de anno 1340

in nos. Anna cuju

praefecti, vel adscripti, ejusdem defensioni, & tuitio-  
ni operas suas addixerunt. Nimurum praesidiarios istos,  
sibi non relictos, sed praefecto, qui suo pugnantes in-  
citat ore viros, subordinatos fuisse, ordinis ac disci-  
plinae militaris necessitas neminem dubitare sinit. Quam  
honorabilis verò isthaec Sparta fuerit, vel inde apparet,  
quod Comites Imperii & Liberi Domini (illi quoque  
qui in propriis Regionibus ministeriales castrenses sibi  
subiectos habuere) eam à potentioribus suscipere non  
dubitáreunt, (x) idemque doctissimus Commentator ad

Serarii

cujus verba initialia haec sunt. Ego Guntramus de Haizfeld,  
miles, notam facio universis, quod cum Reverendus in Christo  
Pater & Dominus meus, Dn. V Valramus Archiepiscopus Colonen-  
sis me suum & Ecclesiae suae Coloniensis fidem Castrensem in Se-  
gen fecerit, deputans mihi hoc nomine annuos redditus decem cli-  
peatorum aureorum, ponderosorum & dativorum &c. Plura exhibe-  
tent, diplomata è Schateno, Schiltero & Serario infra allegata.

(x) Ite Philippus Dominus de Münzenberg (qui ipse in Ca-  
stro Münzenberg & alibi Castrensa sibi devictos habebat, vid.  
infra §. 9.) per solitis ducentis marcis, à Principe & Abbatे Ful-  
densi, ut Castrensis hereditarius, Castro Bingenheim praestitutus,  
eoque nomine redditus decem marcarum, de precario Ful-  
densi, & decem marcarum ex ipso castro sibi suaque illu-  
strissimae Familiae acquisivit, vid. Diploma de anno 1302.  
apud Hertium de feudis oblatis part. 3. num. 2. Add. Dn. de Lud-  
wig Reliqu. MSC. tom. 2. pag. 246. Plura exempla exhibet,  
nova & splendida editio Serarii Mogunt. in illa Tom. 1. pag. 636.  
memoratur: Archiep. Moguntinum, Henricum Comitem V Valde-  
censem 1600. marcarum stipendio auxiliatorem contra quoscun-  
que assūmisse. Et pag. 632. Ioannem Comitem Ziegenhainensem  
persolutis ei 300. Marcis denariorum Coloniensium in Castrensem  
hereditarium Castris Amöneburg recepimus: V Wilhelmo Comiti Ca-  
stimerbocensi castrum Tvingenberg, titulo feudi castrensem perpetuo  
possidendum

42 11 26

Serarii *Moguntina*, Dn. Georg. Christ. Joannis, (y)  
è notabili diplomate, confirmavit, quando ait: *Gerar-*  
*dus II. Archiepiscopus Moguntinus anno 1303. Frideri-*  
*cum de Rosdorff, Officiatum in Castro Hartenberg ad dies*  
*vitae constituit, quum vero id genus praefecti esset, ca-*  
*strum, castrenses, omnesque illi contributos unā cum bo-*  
*nis ac juribus ipsorum tueri, illum in tabulis, collati hu-*  
*rus officii testibus, ut id curae sibi haberet, summoque*  
*studio perficeret, monuit juxta atque iussit: Indeque fa-*  
*ctum, ut ex Officiatis & praefectis istis Burggrauii (z)*

B 2.

Ganer-

*possidendum concessum. Dietherum Comitem Cattimelbocensem*  
*Castrensem in Lahnstein designatum esse. Additur pag. 645. Si-*  
*fridum Comitem de Witgenstein 200. marcis denariorum Colo-*  
*nienium ei promissis in Castrensem Babenbergensem receptum. Et*  
*pagina 691. Ernsto Comiti Glichensi defensionem castri A-*  
*schaffenburg commissam (de qua etiam Struv. Historischen und*  
*Politischen Archivs Num. 2, pag. 20.) Fridericum VVildgrave-*  
*um Kirbergensem ad sanato 300. florinorum salario, ad insorense*  
*constitutum esse. Add. Tolneri Cod. Diplom. Palat. dipl. 116. Plura*  
*spontē omittimus.*

(y) *Tom. I. pag. 634. num. 6.*

(z) Idem primitus *Comites Castrenses* vocabantur: id quo<sup>d</sup>  
P. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 12. jam tum observavit,  
quando ait: *ali sunt Comites castrenses, qui castrum à Principe*  
*fendi titulo possident, ut ejus guardiam seu guastadiam, id est,*  
*custodiam gerere debant & dicuntur Burggrafi. (Conf. in-*  
*fra §. VII. & VIII.) Quam longe autem ab hac dignitate Ca-*  
*strenses, iisdem subordinari, absuerint, memorabile Diploma Con-*  
*radi II. Imp. de anno 1150. apud Schaten. Tom. I. pag. 783. plu-*  
*sibus declarat: memoratur in eodem, quod Ministerialis qui-*  
*dam Abbatiae Corbeiensis, qui officium Dapiferi simul administra-*  
*bat, dictus Rabano, similitudinem quandam dignitatis, heredita-*  
*rio jure*

Ganerbinatum (a) deinceps surrexerint. Quo nexus autem ipsi milites *Caſtrenſes*, Regionum dominis, quorum auspiciis militabant, devincti fuerint, ſupra laudati P. Schatenii verbis, referre lubet, poſtquam enim ad ann. 1287. diploma prämiferat, in quo *Minifterialium & Caſtrenſium* junctim mentio facta, ſubjugit: ex his literis obſervari meretur, *Minifterialium nomine, Caſtrenſes etiam comprehendi*. Idem clarius indicat diploma, quod ad annum 1280. retulit, in quo *Minifteriales*, ſeu *Caſtellani* memorantur. Nec minus aſſertum Schatenii conſirmat diploma in *Monumentis rediſſivis Würtebergicis* (b) obviuim, quod ſubſcriptione ſua corroborarunt, primò viri religioſi N. N. deinde liberi homines, N. N. demum *minifteriales N. N. N. omnes Caſtellani in Stouphen*. Quae cùm ita ſint, jam porro & illud liquet, etiamſi nonnulli Regionum Domini praefectorum alicuius caſtri ſuſcepert, & ob feuda, hoc nomine iſpis collata, ſub generali *Caſtrenſium, & Caſtellorū nomine*.

rio jure ſibi vindicaverit, & ſe Burggraviū appellari fecerit, eoque iudicium aſſettaverit, ſuper omnibus delictis, intra muros Abbaciae admissis, & ſecundum morem magnae alicuius potestatis, intra muros placita habenerit, eaque Burg-Ding dixerit, quin & clavum cuſtodiam ſibi aſſernerit. Imperatorem verò ex conſilio *Minifterialium Imperii & Regni*, cum & Abbaciae Corbejensis Rabano haec omnia abjudicaffe, iſtamque temeritatem interdixisse.

(a) Ab illis, BVRGGRAVIOS IMPERII PRINCIPES, excellum & ſublime fastigium, in quo collocati ſunt, ſatis diſtinguere, non eſt, ut moneamus. Conf. Dn. Cocceji *Ius Publicum cap. 15. Sect. 2. §. 25. & 26.* (b) *P. ut. I. ſub rubro A. Delberg. pag. 24. & ſeq.*

mine comprehensi fuerint, eosdem tamen propterea, cum praefidiariis, quos regebant, non magis, quam gregarios cum suo Tribuno, in unam classem, unam ve fortem compingi posse. Quod ipsum è statu personarum, (c) formula vasallagii, feudi quantitate & qualitate, operis militaribus, ab his in persona, ab illis (praeterquam si, in casu necessitatis, praefentia ipsius Praefecti desideraretur:) per substitutum praestandis, aliisque argumentis, demonstratu facillimum foret, nisi prolixiorum, eoque peculiarem operam exposceret.

§. V. Ex haec tenus dictis, sponte jam patescit, *Feudorum* quaenam *feudorum Castrenium* origo sit: cum enim *feudum*, *nativam* significatione, *salarium* jam tum (d) de- notet (unde *ministerialium feudatorum* in monumentis mediæ aëvi (e) frequens fit mentio), tantò facilius eò de- ventum fuit, ut in praelidiis istis, virtus Gubernato- rum, vis *Castrenium*, utrorumque pericula, turbu- lentis istis temporibus subeunda, salariis, sub lege *feudi castrensis*, pensata fuerint. Jam, quod modum feuda haecce constituendi, attinet, eadem Regionum Domini non tantum de suo largiti sunt, & tunc vel è redditibus ipsius castris, vel aliunde (f) saepissime etiam

B 3 prævia

(c) Num eò quoque pertineat, quod è Chron. Hildeshei- mensi Schaten, tom. I, pag. 695, refert, in obſidione urbis Mona- steriensis fere omnes illius defensores, tam nobiles, quam mini- fleriales capti fuſe. Lector judicabit. (d) Vid. Dn. de Lud- wig, de Jure client., pag. 20, lit. b, pag. 23, lit. a, pag. 31, lit. b, Dn. Bohmer, usq; moderni Iuris Canon. Lib. 3, tit. 20. §. 4, pag. 812, circa fin. (e) Conf. Charta de anno 1287, apud Miraculum Notii. Eccles. Belgic., cap. 219, pag. 647. (f) Vid. Diplomata ſu- pra ad §. 4, notam u. C. x, allegata.

præviâ spontanè castri alicujus oblatione, offerens, in  
castrensem ejusdem vel altius (g) castri, sub emolumento  
feudi *Castrensis* receptus fuit. (h) Non raro quoque in-  
terueniente castri oppignoratione feuda *Castrensis* con-  
stituta fuere. (i) Nec desunt exempla eorum, qui castra  
destructa ac devasta, sub nexus vasallorum, castrensi-  
um, sumtibus suis aedificanda & reparanda suscepérunt,  
(k) De caetero cum Proceres Ecclesiastici præsidio ca-  
strensum turbulentis veteris aevi temporibus, quām  
maximē usi sint, Schatenius inde conqueritur; (l) per  
eosdem, cū magnis impensis alerentur, multas quoque  
possessiones

(g) Ita *VVitikindum & Hermannum Comites de Battenberg*  
anno 1227. *Henrico Hassiae Landgravio arcem suam obtulisse, &*  
*pro filiis ac filiabus in feudum recipisse, viciissim vero à Land-*  
*gravius Castrenses Marburgenses factos esse, Hertius de feudi ob-*  
*lat. part. I. §. 16, memorat.* (h) Feudorum Castrensim obla-  
torum tanta prostat copia, ut exempla hoc conducere, super-  
vacuum credamus. Et sanè causae, quae feuda oblata produxe-  
runt, quasque *Hertius d. par. I.* prolixè recenseret, ad haec no-  
stra etiam quadrant, tantum non omnes. (i) Vid. Serar. *d. tom.*  
*1. pag. 626. num. 5.* Et Diploma de anno 1336. apud Schaten. *An-*  
*nali. Pad. Tom. 2. pag. 281.* in quo fratribus de Wolden, qui-  
bus castrum Hinneburg ab Episcopo Paderb. oppignoratum, ca-  
stralis residentia in eodem concessa: ita tamen ut post factam  
castri relutionem candem retinere debeant. (k) Sicur factum  
in diplom. modo allegato. Et apud Serar. *d. T. I.* Archiepiscop.  
Moguntinus in diplom. de anno 1337. *Iohanni de Berlingingen*  
*armigerio, ad dies vitae in plectrum concessit aream castrensem*  
*in Oren prope oppidum Orengeas situm, cum hoc onere, ut in die*  
*ea arce statuar propugnaculum quoddam & alia aedificia ibi*  
*necessaria in modum unius fortislii juxta Decani Aschaffenbur-*  
*gensis mandatum.* (l) *d. Tom. 2. pag. 336. C. 263.*

possessiones, quas clientelari beneficio tenuerant, ab Ecclesiae patrimonio abstractas esse. Dixerat antea (m) quanta primorum Episcoporum industria fuerat, in augendis bonis Ecclesiarum suarum, cum piorum Inpp. liberalitas adhuc fluueret, tantam posterioribus temporibus necessitatem impostam fuisse, tuendi ea, quae liberalitate Caesarum donata acceperant, (n)

¶ VI. Feuda haec Castrensa, die Burg-<sup>Qes</sup> Eorum de-  
hen/ in monumentis veteris aevi variis nominibus ex- finito no-  
feruntur; ab Autore Lib. Vet. de Benef. sub nomine ur- minalis &  
bani beneficii comprehenduntur: alias feudum Burgi.  
(o) Castrale beneficium (p) pheoda castrensa (q) redditus  
castrenses (r) peculium castrense (s) in diplomatis au-  
diunt. Habitationes verò, quas praefidarii in castris  
locisve vicinis habebant, quaeque magno numero ho-  
dienum supersunt, ac ferè in turritis & muratis aedifi-  
ciis consistunt, loca castrensa (t) areae & mansiones ca-  
strenses, (u) residentiae castrenses, Burgsäte/ Burg-  
sässe (x) appellantur. Jam ad realem feudi Castrensis  
definitionem ubi pergimus, tantum Dd. dissensum,  
tantas

(m) Tom. i. pag. 881. (n) Ab iisdem tamen sub largitione  
feudi castrensis, non raro modum acquirendi subtiliter occulta-  
rum fuisse, exemplo è Spangerbi Chron. Hennebergico apud  
Schilterum in not. ad Struvii Synt. Jur. Fend. cap. 3. s. 16. doce-  
mur. (o) Vid. Schaten. tom. 2. pag. 326. (p) Vid. Diplom.  
apud Tolner. in Cod. Palat. num. 116. Schilter ad Ius F. A. cap. 145.  
(q) Diplom. apud Schaten. tom. 2. pag. 298. (r) Diplom. apud  
eund. d. l. pag. 233. (s) Diploma apud eund. d. l. pag. 271.  
(t) Idem d. l. pag. 233. (u) d. l. pag. 281. (x) Vid. Serat. Tom. i.  
pag. 633.

tantas fluctuationes (y) ubique deprehendimus, ut, si eos consulamus, magis incertos nos relinquant. Prout vero naturam & indolem feudorum castrorum non aliunde melius cognosci posse, quam ex ipsis monumentis Patriis, nemo nisi hospes diffitebitur, ita tutissimum credimus iis, quae hactenus produximus, infistere, indeque feudum castrense describendum censemus, quod sit: *feudum impro prium, quod quis pro custodia & tuitione certi alicujus castri, locique muniti, de habitatione (in eum Burg: Sit:) aut alia aliquare, annuave p rae s tatione in ve l i t u r.* Quandoquidem vero & illud constat, feuda castralia, quae Comitibus *Castrensis*, ut supra ex P. de Andlo audivimus, & *Officiatis* concedebantur majoris momenti, & indoli feudorum propiora fuisse, quam quidem ea, quae *Castrensis*, iisdem subordinatis, sub nexu adductiore collata, quaeque non raro tam exigua fuere, ut militibus hodiernis vix pro salgamo sufficerent; utraque sub definitione quidem comprehendimus, illa tamen eminentiora, haec vulgaria dicemus. Ipsa vero definitionis verbâ è sequentibus lucem accipient.

*Differentia  
a feudo ca-  
stri, guar-  
diae, &c.*

§. VII. Differt itaque hoc nostrum, primò a feudo Castris five Burgi, quippe quod non speciale aliquod officium defendendi castrum sed ejusdem dominium utile, cum, vel sine facultate muniendi continet, cuiusque intuitu, defensio castri, à reliquis servitiis militaribus

Vasallum

(y) Vid. Carpzovius *Disp. Feud.* II. 10. 12. Rosenthal *de feud.* cap. 1. concl. 72. Struv. *Synt. Feud.* cap. 4. apb. 16. num. 2. Dn. Eyben *Elect. Feud.* cap. 3. §. 10. ibique citati. Beyer *position. Feud.* cap. 3. §. 72. & 73. plures non allegamus.

Vasallum non liberat, sed is, propter castrum concessum servitia in expeditionibus, in *Feld- und Heer-Zü-  
gen* praestare tenetur, indeque feudis propriis omnino  
accensendum est, cum, è contrario, Vasallus Castren-  
sis, praeter defensionem castrorum sibi concediti, ad  
alia servitia militaria evocari nequeat, vid. *infra* §.  
15. (z) Pariter & feudum *guardiae*, à *castrensi* quām  
maxime differt. Praeterquām enim, quod illius tan-  
tum in uno alterōe Juris F. Longobardici textu men-  
tio fiat, indeque feudum castrense, in Germania oppi-  
dō frequens, (a) ast serius exortum, ab eodem nec ori-  
ginem, nec mensuram, formulamque habere possit:  
*guardia* i. *feud.* 4. §. 3. feudō directe opponitur, &  
quāvis è textu i. *feud.* 2. appareat, eandem non uni-  
vocē dici, sed *guardiam* castrorum alicujus in feudum quo-  
que datam suisse, attamen cum feudum illud tantum  
annale fuerit, & eō intuitu, ab hoc nostro omnino  
differt. (b) Discrimen à *feudo burgensi*, cīnem *Burgers*  
Lopp. *borghes* bīni isy (i) Cīnem *burgers* co *Lehen* /

(z) Non desunt equidem chartae, in quibus de castro integro  
investitus, defensionem illius, & auxilium contra quocunque  
domino promisit, vid. Tolseri *Cod. Diplom.* num. 104. Schaten  
*Part.* 2. pag. 263. junct. pag. 263. Serarius *Tom.* 1. pag. 639. num. 4.  
quia tamen feudum castrense vasallum tantum obligat, ad defen-  
sendum castrum, in castro, haec talia, illorum mensuram uti-  
que excedunt, ac vasallum ex natura & indole feudi recti  
ad servitia campetria quoque obligant.

(a) Protr Joh. Ferriarius *Montanus* (primus Acad. Marburgensis  
Rector & Pro-Cancellarius, primusque Juris Professor Ordin. in  
collect. ad usus *feud.* lib. 1. cap. 6. jam tum observavit.

(b) Ut ut Feltmannus de *feud.* cap. 2. §. 4. num. 5. & cap. 3.  
§. 2. num. 1. cum pluribus aliis Dd. utraque confundat?

**Lehen / ex iis , quae Hertius (c) & Feltmannus (d) an-**  
**notarunt , satis appareat . De feudo burgimagistri proli-**  
**xè egit Schilterus (e) Feudum soldatæ quoque alterius**  
**indolis esse , vel solus textus 2. feud. 10. satis indicat .**

*An feuda  
Castræ  
impropriæ  
accensem-  
da?*

**§. VIII.** *Dum autem supra §. 6. feuda castræ*  
*sia ad impropria referre non dubitauimus , in eo Felt-*  
*mannus d. l. quidem nobis refragatur , contendens , feu-  
da conditionata ad unum omnia , propriis accensenda  
esse . Ast enim verò cum feudum illud improprium  
sit , quod à communī feudorum natura recedit , das  
nicht alle Eigenschaften eines rechten Lehens hat /  
obligatio autem ad servitia militaria , eaque indetermi-  
nata , ad naturalia feudi adeò pertineat , ut si vel maxi-  
mè eorum in investitura nulla facta sit mentio , tamen  
praestanda veniant , I. Feud. 5. & 21. II. Feud. 12. & 23.  
II. F. 55. §. firmiter &c. Hoc nostrum , in quo servitia  
ad defensionem certi aliquujus castri unicè restricta : iis-  
dem omnino accensendum erit . Nec aliud de jure  
Germanico dicendum esse , (f) vel inde appetat , quod*  
*compila-*

*(c) de feudo nobili scđt. 4. §. 5. (d) d.T. cap. 3. §. 6. ubi norat  
Burgensia illa , Cliviis quidem vocari Burgmanns . Gister / ea-  
dem tamen à feudis castræbus planè diversa esse . (e) In  
Commentar. ad p. F. A. cap. 151. ubi etiam differentiam inter  
Burgenses , Burgmannos , villanos atque rusticos pluribus expo-  
nit : addens , interdum tamen sub nomine Burgensem , in latio-  
ni significatione & Burgmannos comprehendit , qui & in Jure  
F. Alemanno subinde Burger vocantur . Idem Schilterus d. l.  
ad cap. 136. differentiam feudi castræ , à feudo Stagii subindicat .*

*(f) Ut ut de caerero non ignoremus , feudum rectum , non  
semper feudum proprium denotare , vid. Hotom. Lexic. Feud.  
sub d. ub. Schilter d. l. cap. 100. §. 5. ad. audiuntq. manu .*

compilator Juris F. Alemanni in *capitulis supra allegat.* naturam & indolem feudorum castrorum expositorum, comparationem illius, cum feudo reato instituerit, ac differentias utriusque passim indicaverit. Tum & illud heic observari meretur, quod in chartis antiquis fideles, vasalli, & castrenses, (g) die Manne und Burgmannen / (h) sollicitè ab invicem distinguantur, certissimò indicio, castrenses, eorumque beneficia, à reliquis vasallis eorumque feudis plurimum differe. (i)

§. IX. Habent de caetero, haec nostra, cum Et quoniam reliquis feudis impropriis id commune, ut in omnibus que talia articulis, in quibus nec dispositione Juris Feudalis, nec pactis hominum expressè quid mutatum, naturam feudi proprii conservent, (k). Multò minus ergo fidelitas in feudis hisce, salvâ illorum essentiâ, remitti potest:

C 2 quin

(g) Vid. diploma dem gründl. Bericht in Sachen Sayn contra Chur- & Trier subjunctum sub lit. b, aliaque innumera.  
 (h) Vid. die Stolberg-Königsteinische Deduction, in Adj. sub num. 14. (i) Audiamus Freherum ad P. de Andlo lib. 2. cap. 12. Ministeriales, ait, diversum quid à vasallis esse, semper putavi, re & nomine, prout in antiquis instrumentis separari solent, v. gr. Comitiam de N. cum castris & munitionibus, fidelibus vasallis, ministerialibus, hominibus & omnibus attinentiis. Et in diplomatis Episcoporum & Abbatum, post Clericos subscriptus legitur Advocatus, post hunc ministeriales, dein fideles: quod ista etiam legitur in valvis Ecclesiarum Moguntinensis, & Vormatiensis, Spirensisque. Et in Teutonico fideles Mann & Lehnleute / ministeriales Dienstleute vertuntur. Addatur supra laudatus illustris Autor Commentat. de minister. §. 17, ibique alleg.

(k) II. Feud. 48. Jus Feud. Alem. cap. 136. ibique Schilter.

quin potius addictiore quodam nexu, *Castrenses* domino suo devinctos esse, ex haec tenus dictis jam tum apparet. Eorum clientelam, juramentum jam dudum olim firmatam fuisse, instrumenta, quae superlunt, testantur: id ipsum in diplomate apud Schatenium, (1) vocatur juramentum fidelitatis, die *Huldigung*. Illius formam, exhibet nobis formula illa, sub qua *Castrenses* Arcis Münzenberg in Wetteravia, Illustrissimis Con-Dominis, in hodiernum diem usque, sese obstringunt (m) Uteunque enim non ignotum, & à Schiltero (n) pluribus deductum sit, vasallagium & homagium [naturā suā opipidō diversa] jam olim saepius conjuncta fuisse, si quidem vasillus simul esset subditus; illa tamen, quam allegavimus, formula, & conceptu verborum, & intuitu personarum, à quibus hodiernum praestanda, de nuo evincit, nexus *Castrensum* omni tempore addictiorem fuisse, eorumque feuda non uno nomine impropria esse. (o) Simul & hoc confirmat, quod feuda illa, quae Comitibus *Castrenibus*, Officiatisque pro tuitione castri concessa, & eminentiora, & vera *Castrensa*, & indoli feudorum rectorum propiora sint.

s. X. Ma-

(1) *Annal. Paderb. Tom. II. pag. 271.*

(m) Exhibet eam suprà laudarum eruditissimum Scriptum, *Bericht vom Adel in Deutschland* quod Francofurti anno 1721. prodiit, in append. docum. num. 20. (n) In *Commentar. ad J. R. A. cap. IV. §. 8. 9.* (o) È quoque pertinent verba Auroris veruti de Beneficiis, §. 131. quae Freherus in not. ad *Constit. Caroli Crassi* citavit, quaeque in editione Dni Thomassii §. 130. leguntur.

§. X. Magis intricata, ac multipli Dd. differ- An reib  
su involuta quaestio est, utrum *feuda castrenia nobili- feudis nobis*  
bus accensenda sint? Praeterquam enim, quod Auctor *libus accen-*  
(p) *Jurisprudentiae Heroicae*, sive, *de jure Belgarum* *seantur?*  
*circa Nobilitatem & insignia, ad Editum Seren. Princ-*  
*pum Alberti & Isabellae, 14. Dec. ann. 1616. promulgatum,*  
allegato magno numero Dd. (q) defendat, vera etiam  
militum feuda, nobilia non esse, cum dignitatem  
non habeant annexam. Haec nostra, pro defen-  
sione ac tuitione alicujus castrorum, olim concessa, par-  
riter ignobilia esse, Baldus, Curtius junior, aliquique  
veterum, jam tum affirmarunt: quibus tamen supra  
laudatus Joannes Ferrarius, d. *Tract. pag. 25.* sequentibus  
verbis refragatur: *quia feudum castrum, etiam inferioris*  
*conditionis hominibus confertur, ideo Interpretes non-*  
*nulli, id inter feuda ignobilia collocant, verum ejus u-*  
*sum non observantes, neque discrimin illud, quod non*  
*secus, atque reliqua feuda, Nobilitati destinata, pro rei*  
*conditione, ad alios quoque transferri soleant: cuius ex-*  
*emplum habebunt, qui in Curiis & rebus Publicis ver-*  
*santur, quae omnia, umbratili illo & sedentario studio,*  
*non ita adsequimur, sed usus, prudentiae mater, ea*  
*suppeditabit.* Idem ferè sentit Feltman. d. l. pag. 18.  
Ad componenda haec dissidia, praemittendum omnino,  
C 3 quod

(p) Rarissimum hic liber Bruxellis anno 1666. prodiit.

(q) *Artic. 1. §. 62. & Artic. 4. §. 12.* ubi in eandem sen-  
tentiam, Tib. Decianum vol. 3. consl. 117. num. 9. Tiraquel. de  
Nobil. cap. 7. num. 11. & seq. Chaffanaeum in Catalogo de gloria  
mundi p. 8. c. 15. Thieriat de la Noblesse pari. 2. num. 142. allegat.

quod Titulus *Nobilis*, cum seculorum decursu, suas habuerit vicissitudines, id quod B. Dn. ab Eyben integrâ *Dissertat.* & qui post eum, idem argumentum tractârunt, viri docti, extra omnem controversiam collocârunt. Tum & illud obseruandum, *feudum nobile* à Dd. variè definiri. (r) Quibus praefectis, illud primò liquet, quod feuda Comitibus *Caſtrenib⁹*, Liberisque Dominis, pro defensione alicujus caſtri, olim concesſa, tum temporis jam nobilia fuerint. Reliqua *feuda caſtrenſia*, quod attinet, eadem primis, inventi hujus instituti, seculis, nobilia haud fuisse, ex superioribus patescit. Neque tamen ambigendum, feuda illa caſtrenſia, quae Nobilitas hodierna possidet, eō in sensu nobilia rectè dici, quō *feudum nobile* illud audit, quod Nobili, vel ab Imp. vel à Regionum Dominis, ob usus militiae, cum immunitate ab oneribus publicis concessum est.

### §. XI.

*Quis feu-  
dum Ca-  
ſtrenſe da-  
re posſit?*

Quanquam verò aliás, quilibet liberam rerum suarum administrationem habens, *feudum* concedere posſit II. *feud.* 3. id ipsum tamen, intuitu *feudi caſtrenſis* vel ideo fallit, quoniam illius concessio, duo insignia jura Majestatica jus belli, & jus circa munitiones tam exstructas, quam extriendas involvit atque supponit. Ut adeò concessio *feudi Caſtrenſis* ab Imperatore quidem (s) & Statibus (t) jure proprio fiat, ab aliis

(r) Vid. Hertius de *feudo nobili* ſcīt. 4. §. 3. (s) Exemplum feudi caſtrenſis ab Imp. concessi, refert Schilte ad f. F. A. cap. 120.

(t) Quanquam enim non defint exempla, ubi Imp. jus arcis & urbes

aliis verò non nisi praevio speciali privilegio, quo jus  
castrum muniendi concessum est, fieri possit: cum  
nulli privato, nullique universitati sive permisso Regionis  
Domini, urbes, castra, villas, aut praedia mu-  
nire, aut diruta munimenta reaedificare liceat. (u) Eo-  
que diplomata pertinere existimamus, in quibus illi  
quoque, ad quos castra jure proprio pertinent, pro  
custodia ac tuitione illius, *feuda Castrensa à Regionis*  
*Domino obtinuerunt, ejusque Castrensis annumerati*  
*sunt.* (x)

## §. XII.

& urbes muniendi, antiquioribus seculis, Regionum Dominis  
ad instar privilegii concesserunt: Vid. Schaten. *annal. Paderb.*  
*tom. 2. pag. 263.* Attraen, ex quo Superioritas Territorialis ad  
aum fastigium pervenit, munitionum quoque & arcium tute-  
lam ad Regionum Dominos jure proprio pertinere, nemo fa-  
cile dubitabit, vid. Hert. de Super. Territ. §. 19. *ibique allegat.*  
*LL. publicae & fundamentales.* Vicissim quoque exempla pro-  
stant, Regionum Dominos jam tum prioribus seculis, urbibus  
suis, ius easdem muniendi, in vim privilegii concessisse. Vid. Schat-  
ten. d. I. tom. 2. pag. 100. & 240.

(u) Ita in Iure Provinc. Saxon. lib. 3. artic. 66. legitur:  
Mann en muß auch keyne Burgh bauen / noch Statt Besten/  
mit Plancken noch mit Muren/ noch Berge / noch Thürme  
hyne Dorff machen/ ahne des Land. Richters Urlaub: & pauls  
polz, man muß auch keine Burg wider bauen / ane des Rich-  
ters Orlub &c. plura allegat Hertius d. I. Add. Zigler de jur.  
Majest. lib. 1. cap. 31. ubi etiam l. 10. C. de aedificatione privatis pro-  
lixè explicat. (x) Ita in diplom. inedito de anno 1279. Henr-  
ico Landgravo, *Terrae Hassiae Domino, Nobiles de N. N. ut*  
*Castrenses hereditarii, sub jurejurando promittunt, quod Land-*  
*Gravio, Ejusque Conjugi Mechtilde, si Illa supervixerit, affisteret,*

*Quā ratio.* Prout singuli Castrorum Domini, eō, quō diximus,  
ne à Con- jure pollentes, itā quoque Con-Domini, *Castrenses* sibi  
Dominis dudum olim adsciverunt. Con-Domina haec Castro-  
Castrenses rum, in Germaniā admodum frequentia, ex variis  
constituti causis, vel maximē autem, tempore bellorum civilium,  
fuerint.

ob mutuam securitatem, exorta sunt. Hunc in finem,  
inquam; Regionum Domini saepius pacti sunt, ut ca-  
strum in finitimo territorio exstructum, pro dimidiā,  
aliāve parte ipsis concederetur, aut oppignoraretur,  
quō, praesidiariis communibus, ex eodem se defende-  
rent, hostemque à finibus suis arcerent. In tabulis  
istiusmodi pactorum, receptio & numerus *Castrorum*  
pariter definiri solebat; itā in diplomate apud Schate-  
nium, ad annum 1315. Albertus Abbas Corbejensis &  
primores illius Coenobii, Theodorico Episcopo & Eccle-  
siae Paderb. arcem Blanckenau, utrorumque milite  
praesidiario insidendam tuendamque, tradiderunt sub  
his conditionibus: ut *Episcopus* duo loca *Castrensa*, vul-  
gō *Burgsche dicta*, titulo proprietatis hereditario pos-  
sidenta, in eodem consequeretur, itā tamen, ut *Episco-  
pus* duobus suis *Castellanis* ibidem commorantibus, de-  
reditibus provideret, qui *Burg-Leken* dicuntur; Ab-  
bas verò sumtus in portarios, vigiles, & alios custodes  
de suo ficeret: *Castrenses*, portarii, custodes &c. hu-  
ius castri, utrisque se ad fidelitatem & obsequium cor-  
porali juramento obstringerent; Abbas posset castrum  
illud

---

& è Castro suo, Landgravio patente, Eum juvare velint  
contra omnes invasores, enī nomine, plura fenda castrensa  
ipsis conseruntur.

illud vendere, aut obligare, prius tamen id ipsum offerret Episcopo, cui idem liceret, quo ad feuda sua castrensa: Castrum hoc omni tempore Episcopo apertum esset; vice versa Episcopus, pro gratitudine, Abbatii concessit duo loca castrensa, unum in Blanckenau, alterum in Corbeck, ita ut Abbas Castellanis suis de Burg & Lehern provideat. (y) Plura de Con-Domiis, indeque subortis Ganerbinatis Castrorum addere heie non licet (z).

§. XIII. Quanquam vero inhabilibus etiam a domino sciente & volente, feuda dari possint, II. Feud. 30. 40. 55. quo casu gratiam ipsis fecisse, & ut per substitutum habilem servitia praestare queant, permisisse videtur, (a) attamen in feudi castrenis non facilè exemplum tale occurret, quamdiu servitia illa determinata & ad castri possint? defensionem restricta, *Castrenses*, ex primaevi instituto, praefliterunt. Nec minus circa successionem in feudi castrensi, juxta regulam, supra §. IX. positam, eadem obtinent, quae in feudis rectis & propriis, (b) cum qualitas feudi castrensis servitia saltē afficiat. suc-

## D cessionis

(y) Apud eundem *Annal. Paderb.* Tom. II. pag. 11. 35. 197. 272.  
343. similes conventiones alias invenies.

(z) Supplebit illa, commentario uberior *de Ganerbiis Castro-* rum, quam Praeſes hujus Dissertationis ad prelum paratam habet; eidem Kyllingeri Tractatus, & alia hujus argumenti scripta, cum Codice Diplomatico subjungentur.

(a) Rosenthal *de feudi*, cap. 3. concl. 4. *Struv.* cap. V. *Synt. feud.* aph. 12. (b) Conf. Rosenthal d. l. cap. 2. concl. 78. Et de feudis conditionatis in genere Marburgenses *Volum. IV. Consil. XI.*

*Quibus*  
Feuda Ca-  
strensa da-  
ri, & qui  
nam in illis  
succedere

cessionis ordinem non mutet, nisi consuetudine vel pacto aliud statutum esse, appareat. Atque adeò & foeminae, à successione in feudem *castrense* regulariter excluduntur. In Feudis tamen Fuldenibus, & pluribus aliis feudis Ecclesiasticis, in quibus vulgatum illud usu venit, Krumstab *schliest niemand aus*/ aliud obtinere, B. Dn. à Coccejus (c) egregiè probatum dedit. Ut ut enim in literis Principis & Abbatis Fuldensis (d) quibus de consuetudine suae Abbatiae, circa successiones feudales, testimonium perhibuit, *Mann-Lehen / Burg-Lehen / & Burg-Güter /* à reliquis feudis Fuldenibus expresse distinguantur: attamen in *feudis Castrensis* Abbatiae Fuldensis, foeminas, deficientibus masculis, ad successionem admitti; tum & Feuda, *zu Fuldischen Erb-Burg-Lehen / concessa*, (e) tres qualitates singulares continere, *Fulensis, hereditarii, & Burgenii s. Castrensis feudi*, quarum illa successionem temperet, ut foeminae, post masculos admittantur, ista titulum successionis constituat, ut tanquam heredes succedant, haec servitia ad certum Burgum restrin-  
gat, praelaudatus Vir illustris d. I. pluribus adstruxit. Exemplum, ubi ex pacto speciali, foeminae ad successionem in haec feuda admissae, diploma Rudolphi I. Imp. nobis præbet, quod Schilterus *Commentar. ad J. F. A. cap. 138. §. 2.* inferuit. Idem d. I. aliud singula-  
re circa successionem in feuda *Castrenia Palatinatus ad Rhenum*

(c) In *Dissert. de feudi Fuldenibus cap. 3.*(d) Apud Wehnerum in *Observ. Praef. x. b. Fuldisch Lehen.*(e) Exemplum feudi *Fulensis, Castrensis & hereditarii supra §. IV. nos. à x. adduximus.*

Rhenum, è libro feudali de anno 1463. his verbis annotavit: Burg-Lehen zu beyden Seithen Rheins verfallen gleich / wan ein Burgman abgehet ohne Sohn und Bruder oder Gewittern seines Stams und Schilds verlaset / so fallen sie doch nicht neben sich auf die Brüder oder Gewittern / sondern bleiben allein auf der abstizenden Linie. Sie wären dan vor eine Gemeinschafft empfangen und hergebracht worden (f). Sicut etiam vasallus de feudo, in testamento, vel aliâ ultimâ voluntate disponere nequit, in tantum ut ne quidem pro anima (ut loquuntur) sive ad piam causam, feudum, ejusve partem, ne candelam quidem, relinquerre possit, argum. I. Feud. 8. pr. II. Feud. 9. §. donare (g). Ita idem multò magis in feudis Castrenibus obtinere, natura & indoles eorum, neminem dubitare sinit.

§. XIV. Quemadmodum ex quolibet alio contractu feudali, societas quedam, & reciproca obligatio inter dominum ac vasallum subnascitur, ita eadem quoque in Feudis Castrenibus non deficit. Summa illa officiorum, quae II. Feud. 6. sequentibus verbis memorialibus: *incolumentum, tutum, honestum, utile, facile, possibile*, cuilibet vasallo commendatur, Castrenibus etiam tantò magis convenient, quò addictior, ut supra vidi mus, ipsorum nexus. Praeter fidem, ab omni omnino vasallo praestandam, servitia quoque, ad custodiam &

*De obliga-*  
*tione inter*  
*Dominum*  
*& Vasallum*  
*Castrensem:*  
*in specie*  
*ad quid Vas-*  
*allus tene-*  
*atur.*

D 2

tuitio-

(f) Addantur Gundlingiana Fascic. III. num. i. von der gesamten Hand unser Sachsen / ex qua, Viri Illustris, meditatione, ratio succedendi in feudis Castrenibus, & antiqua & hodierna, plenius declarari poterit.

(g) Hornius Prud. Feud, cap. XIV, §. 1.

tuitionem certi alicujus Castrorum restricta & determinata, propriis sumtibus (h) & in persona praestare, eumque in finem in Castro habitare, ex primaevi instituto, tenentur. A quo tamen immunes fuisse videntur, qui Ledige Burgmanni (i) vocabantur. Comites quoque Castrenses, ac reliquos Officiatos, per militem fiduciarium (k), sive substitutum, citra casum necessitatis, partes suas obiisse, supra jam observavimus: iidem certum armatorum numerum, ad Castrorum defensionem adducendum, in pactis investiturarum, Domino directo interdum promiserunt. (l) Prout etiam in Castris istis tutissimum refugium quaerebatur, ita ad aperturam illius, quovis tempore domino directo praestandam, Castrenses, quam tales, jam tum obligantur; nec minus tamen id ipsum, Con-Dominis in primis, diserte promittere solebant. (m) Non raro quoque pluribus Castris, ut Castrenses adscripti, vel ut Officiati praefecti fuere, (n) so-

(h) Conf. locus ex Zyllelio *infra* §. XVI. not. e. adductus.

(i) Illorum duo exempla in supra laudata Commentatione ad Serarii Moguntina pag. 642. & 646. leguntur. Eodem Castrenses honorarios fuisse, (quibus necessitas in castro habitandi, illudque custodiendi, non incumbebat, tutela ramen ipsius Domini siuebantur, & in castro refugium querere poterant,) vel solum nomen indicat. (k) Ut in diplomate apud Schaten *Tom. II.* pag. 292. audire. (l) Vid. diplomata in Serario locupletato pag. 642. & 645. *Tom. I.* allegata. (m) Conf. diplomata apud Schaten *Tom. II.* pag. 209. 233. 281. aliaque innumera. De caerulo, quod apertura illa vel Jure Majestatico, vel Jure foederis, vel feudi jure debeat, B. Da. Beyer *Post. Fend. cap. 3.* §. 74. & i segg. recte observavit.

(n) Solebant porro *Castrenses*, ad castri defensionem semet  
itâ obstringere, ut praeter Imperatorem, certos Regionum  
Dominos, contra quos è castro pugnare nolent,  
nominatum exciperent, siveque feuda sua, ut non ligia  
fuscerent. (o) Qualis de caetero nexus ille fuerit, quo  
*Castrenses* Domino suo directo devincti, denuò exinde  
apparet, quod cum castro, in feudum concessio, (p)  
aliisque modis alienati (q) ab uno ad aliud castrum  
translati, (r) obsidesque dati (s) fuerint, & sub obstagio  
pro domino suo se obligaverint. (t) Quod alienatio  
feudi *Castrensis* ipsis, peraeque ac aliis vasallis, interdicta  
sit, ex superioribus jam tum liquet. (u) Quam cul-

D. 3. pam

(n). Vid. Charta apud Feltmann. *de feudi*, pag. 19. & Schilter d. 1.  
pag. 439. &c. (o) Ita in instrumento, de anno 1323. quod  
apud Scrarium Tom. I. pag. 645. in supplem. num. 5, allegatur:  
*Archi-Episcopus Moguntinus fratres de Itare Castrensis Naen-*  
*burgensibus accensuit, pollicitus, se ipsis hand fecus ac ceteris ca-*  
*stri defensoribus, contra quosvis, Ecclesiam Coloniensem tanum ex-*  
*cepit, ad futurum; illi viciissim spondere, se Archi-Ep. adver-*  
*sus quosvis, Coloniensi similiter excepto, ope suâ praefeo futuros.*  
*Quod si etiam contigeret, ut Moguntina & Coloniensis Ecclesia*  
*simultate quâdam inter se conflictarentur, se se neutrâ partem*  
*fecuturos esse.* Idem in Diplomatibus supra jam allegatis, tan-  
tum non omnibus, invenies. (p) Vid. supra alleg. Diploma  
Trevirensē Dedit, Sayn, sub Lit. H. subiectum.

(q) Vid. Schilter. d. 1. pag. 442. & 444. (r) Idem d. 1. pag.  
439. (s) Schaten Tom. I. Ann. Paderb. pag. 877. (t) Idem Tom.  
II. pag. 55. (u) In iisdem nec sub infedatio locum invenit,  
nisi accidente Domini consensu, aut annali praeescriptione, cap.  
136. *Tur. F. Alem.* ibique Schilter. §. 2. In feidis Imperii Castren-  
tibus, in dotalitium concedendis, consensum Imp. dudum olim  
requiritum fuisse, idem Schilter. ad cap. 26. *J.F.A. §. 11.* observavit.

pam praestet is, cui Castrum custodia concedita, disquirit Rhetius ad 1. feud. 2. pag. 140.

*Quid Domino directo vicissim praestanda, illud pariter exigit, ut Castrenses suos, ab aliorum impetitionibus & injuriis sartos tectos praestet, liberam habitationem (x) nec non alias res, in feudum concessas, plenissime utendas fruendas permittat, (y) servitia ultra modum conventum non exigat, nec ad militaria campestria eosdem evocet (z) Pacem (a) castrensem, (quam ipsi Con-Domini (b) jurejurando firmare solebant) tueatur.*

De caetero dominium suum directum aliis cedere potest, modo non sint inferioris clypei, alioquin Castrum indefensum relinquere, possunt Castrenses, & tamen feuda sua retinent. cap. 138.

Jur.

(x) Haec enim sub feidis hisce primariò continetur, unde, cum Stuckio, Eybenius Elect. feudal. cap. 3 §. 10. die Burg-Lehen inferiūen suā natura nichts mehr/dann die bloße habitation.

(y) Res, annuasve praefationes in feudum castrense concedi solitas, admodum varias fuisse, ex superioribus liquet. Non raro etiam dominus directus facultatem sibi reservabat, praefationes illas immutandi, vid. charta Responso Marburgensi de restitut. Bar. Vallendar anno 1612, seorsim excuso, sub num. 4. ad juncta.

(z) Prout Jur. Feud. Alem. cap. 139. Jur. Saxon. cap. 38. disserè expressum. Nonnunquam etiam Castrenses specialibus pacēs aut privilegiis hoc nomine sibi prospexerunt, vid. diploma Rudolphi I. Imp. apud Lunig. part. spec. 3. Contin. 2. Fortschung Num. 75. & apud Schaten. part. 1 pag. 877.

(a) De qua, Respondentis Venerandus Dn. Parens, in Disputatione Solenni de Signo Pacis vom Burg-Frieden / anno 1697. Giesae edita, plura singularia annotavit.

(b) Vid. Schaten. Tom. 1. pag. 271.

*Jur. Feud. Alem. ibique Schilter.* Quodsi Castrum, à re in *feudum castrense* concessà separetur, *Castrenses*, jure feudi recti, sua retinent (c). Denique & expectati-  
vam à Domino in feudo Castrensi aliis concedi posse,  
*cap. 136. & 137. Jur. Feud. Alem.* disertè provisum (d).  
Quae singula, dum ad finem properamus, per saturam  
heic retulisse sufficiat.

. XVI. Superesset, ut ad modos pergamus, quibus  
obligatio illa solvitur, ipsumque *feudum castrense* extin-  
guitur. Quandoquidem verò, quae Dd. de feudis in ge-  
nere annotarunt, tantum non omnia, *castrensis* quoque  
conveniunt, ideo, ne actum agamus, non  
canisi singularia nonnulla, haec nostra attinentia, hoc  
conducemus. Dum autem Schilterus *feudorum castren-*  
*sium* intuitu, sequentem, *ex capit. 143. Juris Feud.*  
*Alem.* efformatam, regulam generalem nobis suggerit:  
*dominum non nisi ob tres causas ad privationem feudi*  
*castrensis agere posse, ob fidem quovis modo violatam,*  
*speciatim ob castrum non custoditum, siue à domino*  
*evocatus intra sex septimanas non compareat, & deni-*  
*que ob injuriam, pari, de feudo castrensi illatam:*  
prima quidem & secunda causa extra omnem con-  
troversiam positae. (e) Tertia verò à Dn. Thoma-  
sio (f)

*De modis*  
*quibus obli-*  
*gatio feu-*  
*dalis dissol-*  
*virur, &*  
*feudense a-*  
*mittitur.*

(c) Vid. Schilter, in *Comment. ad J. F. A. pag. 452. ibique alleg.*

(d) Adde Schilter, in *Commentar. ad d. cap. 136. ubi etiam de*  
casu, si uxor ultimi vasalli praegnans sit, an expecta-  
tivarium excludat?

pluri

sio (f) in dubium vocatur, eò quod Autor vetus *de Benef.* §. 6. 7. tantum duarum causarum, ob quas dominus contra vasallum agere possit, mentionem faciat, & vocabulum *Tag*, *Dingen* in Jure Feud Saxon. non *convenire*, sed *citare* significet, nullaque ratio appareat, cur ob injuriam con-vasallo illatam, *Castrensis* feudo privari debeat, indeque arguit, compilatorem Juris Suevici, sensu Juris Saxonici non recte percepto, in hunc errorem prolapsum esse: circa quam tamen controversiam, in praesens subsistimus. Sicut autem supra observavimus *feudum Castrense*, interveniente oppignoratione quandoque concedi, ita dubium non est, facta relictione castri, id ipsum extingui. (g) Quodsi vero *Castrum*, sine culpa

plum apud Zylleium *Defens. Abbat. S. Maxim. part. 3. Docum. 29.* pertinet, ubi Theodorus Abbas, quod jus habuerit quandam *Castrenium* suorum, ob castrum non cultoditum feudo privandi, his verbis memorat: *Oriā inter me & Archi-Episcopum Eberhardum seditione, cum rei irā poposisset necessitas ut castrum S. Maximini custodire, ac munire deberem, Guntramo, (hunc antea Scaremannum suum vocaverat) ut ad me veniret, & intra Castellum nostrum cum suo summo excubias facheret, usque tertio mandavi, sed nullo modo hoc efficere potui.* Tandem ad ultimum, post legitimas inducias, eum ad rationes posui, & iusto iudicio suorum parium, beneficium, quod ex me tenebat, ei auferre debui.

(f) In *Dissertat. de Aut. lib. vet. de Benef.* §. 47.

(g) Modo aliud non sit conventum, (qualem, casum *supra pag. 14. notā 1.* habuimus) sed facta relictione, *castrum* omni ex parte liberum, debitori restituendum sit: id quod in diplomate à Dn. Commentatore ad Serarii *Mogunt. T. I. pag. 637.* allegato §. 11. ita effertur: *castrum liberum & disgregatum restituere:* ubi

culpa Castrorum, destruatur, iidem nihilominus feuda sua, jure feudi recti, retinent, usque dum Castrum reaeditum fuerit, tunc autem intra octiduum ad illud redire jubentur, vid. Cap. 147. Jur. Feud. Alem. ibique Schilter.

§. XVII. Refutationem, in feudo castrensi non minus, ac in reliquis feudis locum invenire, consen-  
tiunt omnes, modò non fiat intempestivè, aut pactum de non refutando investiturae adjectum sit (h). Insignem tamen difficultatem circa Capit. 147. Jur. Feud. Alem. offendimus, cuius verba sub rubro: *wer Burg-  
Lehen uss git / apud Schilterum sunt sequentia: Unde wil ein  
Man sin Burg-  
Lehen sine Herren uss geben/ das  
mag ime der Herre nit geweren er muß es von  
ime neinen / er verwirktet denn/ also hievor gespro-  
chen ist.* Capitulum hocce Schilterus idiomate Latino ita reddidit: *Si vasallus feudum castrense refutare vult  
Domino, non potest hic illud denegare, sed oportet  
ipsum feudum ab eo recipere, alias feudum amittit, ut*

E antea

ubi tamen, quod in transitu notamus, haud dubiè *disbrigatum* legendum, vid. du Fréne Glossar. vb. *Briga* ut ita idem signifi-  
cat ac frey und unverbrüchlich / sive ohne allen Anspruch: In Spec. Suev. cap. 60. §. 3. cap. 296. & cap. 304. idem exprimitur:  
*dass es ihm niemand gebreden möge/ indequé vocabulum illud  
disbrigare quin & Italorum, briga, à German. brechen/ forte  
descendere L. B. nobiscum conjicit.*

(h) Quale exemplum ex Decreto Ruperti Imp. inter Comitem Cattimelibocensem & Equitem de Bellersheim, de anno 1405. refert Schilter. d. l. pag. 455. ibi: und soll derselbe von B. und sine Libes Lehnserben / des vorgenannten Grave Johans und seiner Erben Burgmannen sin fürbas eriglich / nimmer offzusagen.

*antes fuit dictum.* In Goldasti editione (i) idem textus,  
cap. 149. sub rubro: *der ein Burg-Lehen uss gibt/ ita*  
*legitur: Und wil ein Mann sein Burg-Lehen seinem*  
*Herren uss geben/ des mag ihm der Herr nicht ge-*  
*widern/ er muß es von ihm nemen/ er verwürke*  
*es dan/ als hier vor geschrieben ist/ und der Herr mag*  
*es ihm nicht nehmen.*

Schilteri *s. XVIII.* Quanquam verò Dn. Schilter, in *Com-*  
*fusio mentar. ad d. cap.* difficultatem hanc siccō pede praeter-  
*nes circa iverit, attamen silentium ipsius, tum & ipsa d. cap.* ver-  
*bunc sex- sio Latina, satis indicant, Virum de Jurisprudentia*  
*tum.*

Germanica optimè promeritum, probè sensisse, quod  
lectio illius vitiosa sit, eique medelam afferre voluisse:  
Rem ipsam quod attinet, in utraque editione *d. capit.*  
verba, sicut jacent, idoneum sensum non invenire, L.  
B. facile agnoscet, dumque verba illius finalia, ad ante-  
cedentia se referunt, in his verò nusquam reperitur,  
quod Schilterus versioni suae inseruit, ac si dominus  
*feudum castrense à vasallo refutante recipere recusans,*  
*jure suo statim excidat, quin potius in cap. 136. expres-*  
*sis verbis dicitur, quod feudum castrene quoad mul-*  
*claim, cum feudis rectis exactè conveniat; tantum ve-*  
*ro absit, ut dominus feudum rectum sibi refutatum re-*  
*cipere nolens, dominium directum amittat, ut potius*  
*per caput 3. Juris F. Alem. (k) vasallus, tali casu va-*

(i) *Reichs-Satzungen part. I. pag. 223.* (K) Verba *d. cap.*  
s. è versione Schilteri, haec sunt: *Si quis vasallus feudum*  
*suum domino suo vult refutare, nec alterius istud ab ipso tenere;*  
*ipse (Dominus) non potest de jure hoc denegare, sed debet ab*

cuam feudi possessionem derelinquere jubeatur. Ex quibus omnibus, apparet verba illa, quae Dn. Schilter versioni suae inseruit, textui sanando haud sufficere; quin potius sensum illius magis adhuc turbare.

§. XIX. Eadem difficultates & nos, ingenuè fatigatum, aliquamdiu dubios incertosque reddidere; post-tus, verbosum verò utramque, & Schilteri, & Goldasti editionem rum trans-(cum qua ultima, plura exemplaria, quae consuluerimus, positione, in-  
conveniunt) tum & cap. s. & 136. cum hoc nostro con-  
ferre instituimus, sola verborum transpositione, sine restitu-  
tione textus correctione (quam perinde ac confessionem  
antinomiae, pro facra anchora demum adhibendam es-  
se, Huberus alicubi recte judicat) textum hunc inte-  
gritati suae restitui posse deprehendimus: sic itaque  
d. capit. 147. ex editione Goldasti verò cap. 149. legen-  
dum censimus: Und will ein Mann sein Burg-  
Lös  
hen seinem Herren üfgeben / des mag ihm der Herr  
nicht gewidern / er muß es von ihm nehmen; Und  
der Herr mag es ihm nicht nehmen / er verwürfe es  
dann / als hievor geschrieben ist. Quō ipso, sensus  
d. cap. planissimus evadit, emblema verò, à Dn. Schil-  
tero versioni Latinae d. cap. intrusum, velut analogiae  
Juris Patrii repugnans, simul eliminatur, & prout d.  
cap. 147. ad antecedentia se refert, cap. s. autem, in ea-  
dem materia, ad subsequentia provocat, utraque hōc  
modō in luculentam consonantiam rediguntur.

## E 2

## §. XX.

---

eo id recipere. ————— Quodsi dominus non recipit ab eo, va-  
sallus nihilominus liber est à vasallagio suo: vicissim debet bici-  
possessionem fendi, quod ab eo tenet, vacuam domino relinquere.  
Contra vero Dominus non potest hoc adversus vasallum facere;  
vixi per feloniam fendum amittat, de qua postea docebitur.

*Quis iudex* §. XX. Denique, ut finiamus, illud adhuc ad-  
*fi in causis* dimus, quamvis alias judicium causarum feudalium ad  
*feuda ca-* Dominum & Pares Curiae pertineat, I. F. 18. II. F. 40.  
*strensa at-* 55 §. 5. attamen in causis *feuda castrensa* attinentibus,  
*tuentibus.* non alios Pares admitti, quam qui simul *Castrenses* sint,  
(k) Iudicium ipsum quoque, non nisi in Castro, cui  
addicti, & quidem portis apertis, institui olim potuisse,  
*Jus Feud. Alem. cap. 139. & 141.* fidem nobis facere. Su-  
perest quidein, ut ad alteram, eamque planiorem ar-  
gumenti nostri partem nunc pergamus, & ex literis in-  
vestiturarum aevi recentioris, rebusque judicatis,  
pluribus adstruamus quod quamvis hodie non omnes  
consuetudines Patriae, haec tenus enumeratae, in  
Curiis Feudalibus peraequè observentur; quin potius,  
ex quo, mutata praeisditorum ratione, *Castrenses* defen-  
sioni ac tuitioni Castrorum non amplius vacarunt, plu-  
rima quoque circa *feuda castrensa* immutata sint: quod,  
inquam, primaevam suam naturam & indolem in reliquis  
tamen retinuerint. Verum Exerciti Academici mensura  
nunc quidem jubet, ut his in aliud tempus reservatis, filum  
hic abrumpamus. DEO autem T.O.M. pro largissima  
benedictione, studiis nostris haec tenus concessa, gratias  
agimus devotissimas, Eique proporrò vias nostras  
commendamus.

(k) Antiquitatem hujus instituti, diploma apud Schaten. *Annal. Paderb. tom. I. pag. 783.* sati confirmat. Add. Schilt, ad d. c. 139.


#### CORRIGENDA.

Pag. 9. lin. 10; Matthaci, l. Ant. Matthaci, pag. 15. not. n. lin. 3. Span-  
gebii l. Spangenbergii, pag. 16. lin. 10. habitatione l. habitatione in castro  
pag. 20. not. m. eruditissima l. eruditissima,

Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle  
003 599 06X

3




→ OL 5b. f

Nr. 111 Stück verloren!

Vdn8





F. 7. num. 32. 6.

*Q. D. B. V.*  
DE

1722, 4<sup>a</sup>

# FEVDIS

# CASTRENSIBVS,

Bor

# Burg - Lehen

## PRAESIDE;

JOHANN. WILHELMO  
WALDSCHMIEDT, JCTO,  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
HASSIAE LANDGRAVII PRO-CANCELLARIO  
ACADEMIAE, CONSILIARIO REGIMINIS,  
ET PROFESSORE P. O.

*DISPVTABIT,*  
AD DIEM APRILIS MDCCXXII.

A. & R

# GOTHARD. FRIDER. APPOLDT, ONOLDO FRANCVS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD.

